

PSELLI DE  
VICTVS RATIONE AD  
Constantinum Imperato<sup>r</sup>  
rem libri II.

Rhazæ, cognomento Experi-  
mentatoris, de Pestis  
lentia liber.

Georgio Valla Placentino interprete.

Ioannis Manardi Ferrarensis Medici,  
in Artem Galeni medicinalem  
luculenta expositio.

JOANNIS MANARDI IN <sup>GA</sup>  
leni artem medicinalem  
præfatio.



LERIS QVE eorū prætermissis, quæ libroru[m] expositionibus præscribi consuevere, paucula tantum de autore, delib[er]ri titulo, de subiecto, ordineq[ue] p[re]fabimur. Autorem huius libri Autor libri bri suisse Galenum, nemo est qui ambigat, licet phrasis ipsa & elocutio nō multū Galenica uideatur. Plus enim potuit sententiarum cōcinnitas, uniuersalis inscriptio, cæterarūq[ue] hic commētationū, atq[ue] huius in cæteris mentio, quām styli difformitas, quem premere in hoc scribendi genere fuit necessarium. Natus Galenius est Galenus in Pergamo Asiae ciuitate, patre Nichone Geometra, & architecto diuite, & in primis disciplinis eruditus, naturaq[ue] ipsa ad philosophandum disposito, sed in Geometria & Astrologia ad summum prouecto, sicuti ipse Galenus

nus in octauo Therapeutices libro scri-  
psit. Ab hoc in somnis monitus, cū phi-  
losophia īā esset initiatuſ, ad medicinæ  
studiū inductus est, ut li. i x. eiusdē The-  
rapeutices legitur. Vixit sub cæſaribus,  
Adriano, Antonino Pio, Marco, & Cō-  
modo, sub Antoninoq; Romam primo  
profectus est, quemadmodum ipſe scri-  
psit in proœmio lib. Anathomicarū ag-  
gressionum. Discipulus primo fuit Saty-  
ri, secūdo Pelopis apud Smyrnam. Fuit  
Satyrus discipulus Quinti, cuius ſæpe  
meminit Galenus: quem tanti fecit, ut  
Corinthum Numesiani gratia petierit,  
qui & ipſe diſcipulus Quinti probatissi-  
mus fuerat. Alexandriam quoq; aliaq;  
multa loca petiſt, ubi eſſe aliquē Quinti  
diſcipulū intellexit. Ex Alexandria an-  
nos octo & uiginti natus in patriā reuer-  
sus, oīa quæ cognouerat pharmaca ami-  
cis medicis dedit, ut ea per experientiā  
cōfirmaret, quæ ab alijs didicerat, ſicuti  
ij. lib. de Pharmacis secundū genus atte-  
ſtaſt. A pōtifice īā x x i x. annorū, omni-  
um eorū curā accepit, qui in duello fuis-  
ſent

*atyrus &  
clops ma-  
tri Gae-  
u.*

sent vulnerati. Quæ res sibi ita prospere cessit, ut nullus impeditus aliquo membro remanserit ex ijs quos curandos suscepit. Varia dehinc loca, uaria medicamenta inquisitus perlustrauit, sicuti non libro de Simplicibus medicamentis ostendit. Sanus in infantia beneficio patris perseverauit. Puer factus ob fructum esum ægritudine acuta laborauit: ad pristinum uitium à patre restitutus, anno aetatis decimonono sanus permāsit, sequente uitio sociorum usus, iterum ægrotauit. Posterioribus similiter annis usq; ad uigesimum octauum, uel singulo quoq;, uel tertio anno, morbo aliquo laborauit. Post xxxiiii. sanū semetipsum cōseruauit, postq; uidelicet salubrē Methodū adiunxit: nullū morbū deinceps passus præter ephemera febrē, quā aliquando ob immodos labores incurrit. Scripsit plura nō solū in medicina, sed & in philosophia, grāmatica & Geometria, ut Suidas testat, uerū & in Dialectica, sicuti in lib. de differētīs pulsu ipse met dicit. Laudis humanæ cōtemptor adeo extitit, ut nunquā

nunquam suis commentationibus pro-  
prium nomen subscripsit, ut septimo  
Therapeuticis scriptum reliquit. Famā  
tamē quo magis neglexit, eo maiore cō-  
secutus est. Apud maximos uiros sumā-  
mo in precio habitus, præcipue Cæsa-  
res: quibus etiā Theriacen Romæ præ-  
parauit, ut in libro de Antidotis habet-  
ur. Senio tandem cōfectus, in patria re-  
quieuit, magnam apud homines gloriā  
consecutus, maiorem etiam apud deum  
habiturus, si Christo & Moysi, quorum  
quandoq; meminit, credere uoluisset.  
Et hæc quidē de autoris uita. Iam ad li-  
x libriti= bri titulum accedamus. Inscriptitur hic li-  
tulo. ber apud Latinos, accepto à Græcis títu-  
lo, Microtechni, id est Ars parua: quæ  
inscriptio inscritia accedente seculi, quo  
Græcae pariter & Latinæ literæ pessum  
ierant, expositores in pueriles traxit er-  
rores: quos non est operæprecium hoc  
loco referre, quando per teipsum eos &  
legere potes & negligere. In Græcis fe-  
rè exemplaribus Ars medicinalis absolu-  
lute inscriptur: cui inscriptioni consen-  
tire

tire Galenus uidetur, cum quinto Salubrium huius libri mentionem faciens, artem medicinalem, non artem paruā uocauerit. Sed siue hoc, siue illo modo præscribatur, exigui momenti res est. Illud potius inquisitione dignum, quare inter tot medicinæ cōmentaria à Galeno ædita, artis nomen solus sibi uendicauerit. Ego quidem aliâs putauī nomen artis modo illi docendi proprie conuenire, quem hoc in libro Galenus seruauit: ut uidelicet illa disciplina per modum artis tradi diceretur, quæ per doctrinam definiūtiuam esset conscripta: quem modum cum aliâs nunquam Galenus seruasset, ideo hunc librum præter alios artis nomine inscripsisse. Nunc mutauī sententiam, putoq; ideo uocari artem, quod in eo uniuersa medicina comprehensa sit: unde alij quidem libri à parte artis, quā tractant, uel de curandi uia, uel de elementis, uel de naturalibus potestatibus, uel de uī simplicium medicamentorum, uel alio quoquis particulari titulo præuentur, iuxta eam uidelicet artis partem.

cui sunt peculiariter deputati. Hic uero non ab re generali nomine artis inscribitur; quoniam in eo non certa aliqua tantummodo portio, sed ipsa tota ars sub cōpendio traditur. Si quis uero cōtendat, in libro quoq; qui de constitutione medicinalis artis inscribitur, uniuersam patiter medicinam tradi: dicam in eo modum potius doceri, quo ars medicinalis constituenda sit, quam artē ipsam, quod Galenus capite eius libri tertiodecimo aperte restatur: & propterea non artem ut hic, sed constitutionem artis inscribi. Sed dicet forte alias multa hic quoq; de esse, ut elementa, humores, dissectiones, simplicia, compositaq; medicamenta, et alia pleraq; multa artis documēta. Huic nō aliter respōdebimus, quam ipsius Galeni uerbis, solum uidelicet capita, & ueluti conclusiones eorum quae alibi demonstrata, hic esse tradita: nihilq; esse in medicina adeò particolare, & determinatum, quod ad corpora, signa uel causas nō referatur: imo nihil esse in medicina, quod ad definitionē, quae assignabitur,

bitur, nō reducat. Ut enim ipsemet dicit,  
totius artis capita cōtinet in se bona desi-  
nitio. Atq; hæc de libri titulo dixisse sat  
sit. De subiecto ad fastidiū in cuiuslibet  
libri exordio scribunt recentiores, mul-  
ta perperām quasi Aristotelica confin-  
gentes, ab Aristotelis mēte penitus alie-  
na. Quæ cū sint alio loco à nobis declara-  
ta, ad dialecticamq; potius, quam ad me-  
dicinā spectēt, ab eis in præsentia super-  
sedere satius duxi: duoq; tantummodo  
quābreuissime perstringere, unum qui-  
dē de totius medicinæ, aliud de huiusc  
libri subiecto. Diximus igit̄ quo ad pri-  
mum, iuxta Galeni sententiā, corpus hu-  
manum medicinæ subiectum statui alii-  
quo pacto non posse: subiectum di-  
co considerationis, non operis. Con-  
ueniunt enim omnes, illud subiectum  
non esse, quod per accidens, & secun-  
dario, non per se, & primo considera-  
tur. Tale esse corpus humanum à Gale-  
no capite penultimo libri de partibus ar-  
tis medicinalis didicimus. Verum autē  
subiectum secundū eiusdē eodē in loco

Subie-  
tus m-  
ne.

sententiam sanitatis existit, ut quam medicus per se primo considerat, ad quam omnem reliquam refert considerationem, & per quam potius quam per aliud quod uis ab omni alio artifice separatur. Cum enim medicina ars sit factiua, immo potius refectiua, iuxta eiusdem Galeni sententiam in libro de medicinalis artis constitutione, per id quod reficit, non per id circa quod operatur, est a ceteris artibus distinguenda, quando & per hoc ceterae refectiuae artes distinguuntur: & qui dem merito, cum nihil ueret uarias circa eandem rem reficiendam artes uersari. Ut exempli gratia, circa domum; alia quidem ars est, quae imbricum, alia quae parietes, alia quae pavimenta instaurat, nec inter se domus ipsius consideratione, ut pote quae una est, distinguuntur, sed eius potius ratione, quod in ipsa domo reparatur. Cum igitur medicina non corpus humanum facere, sed sanitatem conservare, uel reficere possit, aliaeque artes circa idem humanum corpus, aliud scilicet in eo uel conseruando, uel reficiendo uer sari

fari possint , per sanitatem , non per corpus humanum à cæteris est segreganda . Cuius sententia fuisse diuus Thomas parte secunda secundæ partis Theologicæ summæ , quæstione prima , articulo primo uidetur , obiectū medicinæ esse sanitatem dicēs , qm̄ nihil considerat medicus qd'ad sanitatem non referat . Primo quoq; posteriorū resolutiuorū , finē artis operatiuæ esse ait subiecti proprij constitutio nem . Constat autem medicinam sanitatem quidem , non corpus humanū posse construere . Et hæc de subiecto medicinae in uniuersum nunc dicta sint .

Circa libri subiectū in primis aduertendum est , Græcos interpres scientiarū quidem ipsarum subiecta aliquando perquirere , particularium librorum nunquā , sed scopon & prothesin , id est , propositum & intentionem . Cuīus rei tantam esse utilitatem putat Ammonius , ut qui eam ignorat , similem cæco esse dicat ne sciēti quò feratur . Esse uero scopon , hoc est propositum , aliud à subiecto , nemo est qui nesciat , modo uoces intelligat .

Subiectum enim per incomplexam &  
 simplicē, quantū fieri potest, uocē expri-  
 mere omnes conantur. Propositū & in-  
 tentio per plures dictiones ostenditur,  
 inter quas & subiecti nomē plerūq; col-  
 locat̄. Sed & propositū à subiecto Aue-  
 rois in naturaliū procēmio aperte sepa-  
 sitū  
 in  
 ro.  
 rauit. Propositū igit̄ si quis in hoc libro  
 quærat, Galenus ipse respondebit, pro-  
 positū eius esse medicinā, alibi per alios  
 doctrinæ modos traditā, per definitiū  
 docere, sicuti infra in procēmij declara-  
 tione uidebitur. Si quis tamen omnino  
 à nobis contendat, ut nō scopon, sed sub-  
 iectum assignemus, ei non aliud subie-  
 ctum, nec sub alia ratione assignabimus  
 quām toti medicinæ, hoc est sanitatē: ita  
 ut mirari subeat quorundā recētiorum,  
 idē quidē subiectum huic libro dantium  
 quod uniuersæ arti. Sed sub ratione alia  
 secundum affectiones uidelicet commu-  
 nes & generales; quasi eodem modo hic  
 liber uniuersæ medicinæ cōparet, quo  
 liber naturalis auscultationis naturali sci-  
 entiæ; non uidentes, non principia, com-  
 muniesq;

munesq; tantum res, sed totam medicinam, licet per capita, & conclusiones, hic pertractari. Quare non recte alij hu*Error*  
 ius libri doctrinam confusam dixerunt, rationemq; generis habere: quum multa uideamus distincte hic à Galeno de terminata, sicut temperaturarū indicia, & alia non parum multa. In ordine quoque quem quarto loco discutiendum accepimus, eorum sententiam non probo, qui ultimo æditum, & primo legendum putant. Si quis enim Galeni ingenium consideret, eaq; attendat, quæ uel scripsisse se dicit, uel scripturum pollicetur: putare debet eundem ei fuisse commentandi finem, & uiuendi, ac eum pleraq; post hunc librum & perficere potuisse & incipere: præsertim cum nonnulla eius extent monumenta, quæ cum fine carere manifeste dignoscantur, post hūc librū fuisse cōscripta, satis est uerisimile, & uideamus eū in huiusc libri fine aliqd adhuc polliceri. Sed neq; eorū, qui secus putāt, ratio quicq; cōcludit, q; uidelicet liber hic est ueluti epilogus,

neq; enim epilogus breuiariiūq; omniū cōmentationū est, sed duntaxat quarundā. Nō esse etiā hunc librū, ut ipsi dicūt, tyrunculis, & arti initiādis anteponēdū, tum libri ipsius difficultas, tum Galeni in proœmio & fine sententia, satis posse sunt demōstrare. In subsidium enim potius memoriaz, quam ad iuniorum introductionem compositus uidetur. Nō damno tamen gymnasiorum literariorum institutores, qui solum inter Galeni opera professoribus publice exponendum statuerunt. Cum enim uniuersa eius cōmentaria doceri nec necessarium foret, neq; possibile, hoc præ cæteris elegerūt quo bene discipulis per præceptores declarato, aditus ad reliqua absq; præceptore addiscēda facillime pateret, & nō indigne inter præceptores enumerari eum posse sunt arbitrati, qui hanc bene intelligeret. Sed de ijs nimis multa, Iā Galenii ipsum au-

diamus.

Galeni

101

# GALENI

ARS MEDICINALIS, 10<sup>o</sup>

anne Manardo interprete.

Tres sunt omnes doctrinæ ordinii hærentes.

### MANARDI EXPOSITIO.

Proœmium sicut ferè omnibus alijs, ita & huic libro Galenus præponit: in quo omnia quæ ad exordium spectant, abunde persoluit. Doctrinæ enim modum, eiusque commoditatem ostendens, qua in hoc libro usurus est, lecturos attentos, beneuolos, docilesque reddit. Trium igitur primo doctrinarum ordinē seruantium numerum proponit, ut ex earum comparatione, eius qua utilitat<sup>e</sup> inten dit, utilitatem demonstret. Doctrinæ non men late patet, diuersasque res significat. Modo enim habitum animæ ostendit, quo quis doctus dicitur, ut cum Hippocratem uel Galenum excellenti doctrina uiros extitisse dicimus. Quandoque actionem ipsam, exercitiumque docendi,

Doctrinæ  
nominis ua  
ria signifi  
cata.

sub quo significato primo libro de ali-  
mentis, optimam esse doctrinam Gale-  
nus dixit, quæ uiua uoce fieret: & in lib.  
de optima doctrina , euidentem quo  
ad intellectum, doctrinam esse , cū quis  
intelligens aliquid euidens intelligibile  
ad eius intellectionem obtusiorem se re-  
ducit . Aliquando methodum, id est uia  
quandam & rationem, qua uel inuenire  
ea quæ occulta sunt, uel docere alios pos-  
sumus . Iuxta quem modū Peripatetici  
quatuor doctrinas esse dixerunt, defini-  
tiuam uidelicet, diuisiuam, resolutiuam,  
ac demonstratiuam: & Aueroys in natu-  
ralis auscultationis præfatione , species  
Aristotelicæ doctrinæ perquisiuit . Ali-  
quando modum scribēdi tradendiç; ali-  
quam artem , quo ultimo modo & hoc  
loco accepit Galenus, & in expositione  
primi Aphorismi, ubi declarat quæ do-  
ctrina sit Aphoristica . Licet autem mul-  
tiplices sint docendi modi , cum tamen  
trifariam tantum hoc certo ordine fieri  
contingat , sicuti inferius demonstrabi-  
tur , ideo triplicem doctrinam ordinatā

tan.

tantummodo esse hoc loco Galenus dixit. Huic aut̄ doctrinæ reliquæ superius recitatæ aliquo modo deseruiunt. Qui enim per aliquam doctrinarum hic à Galeno numeratarum tradere aliquam artem uoluerit, habitu animi eam teneat necesse est, scripturaq; uel uoce, uel ntu id referet, quod mente clausum gerit, dialecticaq; methodo aliqua illarū quatuor, quas superius numerauimus, ad ueritatem & artis theorematu utatur ostendenda. Aequiuocatio autem hæc multiplexq; significatus huīis uocis Doctrina, quæ nunc ostensa est, atq; specierum eius, quæ inferius ostendetur, Latinos expositores in errorem præcipites egit, sicuti paulò post demonstrabimus. Tres ergo esse omnes doctrinas ordini hærentes, id est, tres tantum esse vias modosq; quibus cum certo ordine doceri aliqua ars potest, in hac prima proœmij propositione uoluit Galenus. Nec putet quispiam, autoritate Drusiani fretus, doctrinam omnem esse ordinatam, addique <sup>Cōtra Dru</sup> hiç, ordini hærentes, non quia sit aliqua doctrinā

doctrina quæ ordine careat, sed eo modo quo dicunt medici spondilos dorsi, cū tamen spondili nō alibi quām in ipso dorso, ut ipse putat, reperiantur. Veritas enim est accidere in doctrinis quod in reliquis humanis solet, ut plura semper sint, quæ ab ordine cadunt, quām in quibus certus ordo seruatur. Ex Hippocratis enim operibus uix unum reperias in quo ordo seruetur. Nam ut Aphorismos, prognostica, epidemias mittamus, nōnne uidemus Galenum, alioqui Hippocrati deditissimū, in lib. de uictu acutorum morborum, ordinem desiderantem? quem tamē nec ipse suis in cōmentationib⁹ ualde obseruauit, sicuti facile innoteſcit ihs qui in eius lectione affiduiſunt. Nolim tamen quenquam existimare, qualēcunq; scribendi ordinē sufficere ad hoc, ut doctrina eo modo ordinata sit, quo nunc Galenus loquitur, sed talē in ea oportere ordinem seruari qualem ipſe, tū in hoc libro, tū in libro de cōſtitutiōe artis medicinalis obſeruauit, libroq; primo Therapeutice qualis eſſet, docuit,

cuit: ut scilicet exordio à certo initio sumpto scilicet ad secundum, tertium & quartum, & ita seriatim ad uniuersa artis theoremata procedatur. Sed intelligi haec plene non possunt, donec tres doctrinarum species declarauerimus. Ad eas igitur accedamus.

## G A L E N V S.

Prima quae ex finis intellectione per resolutionem fit.

## M A N A R D V S.

Trinarium doctrinarum propositum numerum sigillatim Galenus declarat, ut ex his eam secernat, qua in hoc opere usurus est: à resolutiua orfus, ueluti ab ea, quae reliquas quoquo modo praecedit, quemadmodum inferius demonstrabitur. Hanc aperte satis describit, si quis bene intelligat uerba, neq; ad alienum sensum trahat. Esse enim illam ait, quae ex fine intellecto, per resolutionem significatur. Finem enim intelligere oportet, non causam ultimam, non effectum, ut inter Latinos celeberrimi putarunt, sed finem

finem eius artis, quam quis docere instituit. Finis enim, Aristotele teste, necessitatem imponit ijs quæ sunt ad finem: & est, ut Galenus uoluit, regula atq; iudicium eorum omnium quæ in artibus tractantur: & propterea eo intellecto, possunt per resolutionem ordine quodam reliqua ad artem spectantia inuestigari. Resolutionē uero intelligere debebat, non demonstrationē quam ob rem uel ut sit, cū Galenus nunquam inteniatur demonstrationē appellasse resolutionē, Græciq; tam Platonici, quam Peripatetici resolutionē à demonstratione distinguerent, sed ordinatum progressum uersus principia. Analysis em, qd' nos resolutionē interpretamur, apud Græcos, Ioanne Philopono teste, proprie significat eorum qui peregre profecti sunt, in patriā redditum: per translationemq; quandam, processum eorum, quæ ex principijs cōstant, ad ipsa principia. Quam resolutionem, ut etiā dixit Arabs Galeni expositor, norūt Geometræ. Resolutionem enim appellant Geometræ,

ait

ait primo postremorū resolutorū Philo  
ponos, inuentione propositionum, per  
quas uera conclusio colligitur. Cui con-  
sonat eodē loco Themistius dicens: Re-  
soluere appello, uera cōclusione posita,  
propositiones ex quibus cōfecta sit, ex-  
quirere. Huic autē resolutiōi satis similis  
progressus ille uidetur, à quo hæc doctri-  
na resolutiua uocatur, proposito fine ar-  
tis, beneq; intellecto, seriatim quæq; re-  
soluendo uestigans, donec ad principia  
uentū sit. Ad plura tamē alia resolutiōis  
uocabulū seruit, retēto etiā priore signi-  
ficato, secundum quod uarijs rebus ad-  
nectitur. Nam & grāmatici resoluere di-  
cuntur, cū orationē in dictiones, in syllabas,  
demū in elementa reducunt; & Dia-  
lectici, dum à particularibus ad uniuersa  
lia ascendunt, cum definitionem inqui-  
runt, cum syllogismum in proposicio-  
nes, has in nomina & uerba, imperfe-  
ctiores syllogismos ad perfectiores, de-  
monstrationem ad principia, medi-  
umq; reducunt, quod priorum, posterio-  
rumq; resolutiujorum inscriptio mani-  
festat.

festat. Naturales etiam resoluunt, dum effectus, resq; compositas in causas referrunt & simplicia, totum in partes. Sed et in actiuis scientijs, id est moralibus, resolutionis modū tertio moraliū ad Nicomachū libro Aristoteles declarauit. In factiuis quoq; artibus resolutio quædam fit ope ri ipsi multum accōmodata, cuius exemplum idem Aristoteles septimo de prima philosophia libro in medicina monstrauit, & Galenus in inueniendis curatiuis, ut uocant, intētionibus. Quæ inueniri certe non possunt, nisi morbi singulæ causæ cognitæ fuerint, non alia uti tur methodo, ut aliâs demonstrauimus. Resolutionis etiam nomen tam late patet, ut alijs doctrinæ modis à nobis supra recitatis, satis apte accommodetur. Dicimus enim hominem doctrinam habere resolutam, quando quæstiones propositas facile ad principia ducendo resoluit. Eodē modo actum ipsum docēdi resolu-

resolutum vocare consueuimus. Solemus & in negotijs expediendis, quæ in communi commercio hominum cōtin-gunt, nonnullos resolutos appellare, qui uidelicet rem quæ tractatur, facile ad principium operandi deducunt. Sed & ad demonstrationes nonnulli ex latinis resolutionem applicarunt, quod Galeni expositoribus occasionem præbuit erro-ris, putantibus non aliud per resolutio-nem posse intelligi, quam demonstratio-nem, solumq; id cogitantibus, cui nam, ei ne, quæ quamobrē, uel ei quæ ut res sit, docet, possent Galeni uerba de dua-bus doctrinis resolutiua & compositiua melius accommodare. Quod si de alia cogitassent resolutione, cum uiri fuerint alioqui ingenio præcellentes, nō est cre-dibile eos omnes in tam absurdā exposi-tione perseverasse: præsertim cum uide-rimus Vgonem Senensem, lecto Gale-ni de constitutione artis medicinalis li-bro, quod post expositionē primæ par-tis huius libri ei contigit, statim mutasse sententiam. Sed & Caictanus Vicentia-

Vnde nat  
error ex  
sitorum C  
leni.

nus, qui eadē ferē ætate, uel paulo post  
V gonem claruit, proprio commentari-  
olo, quod penes me est, ueram Galeni  
sententiam degustauit. Sunt tamen non  
nulli tam male iniciati, ut propriam ad-  
huc hæresim nolint dimittere, sed in a-  
deo aperta luce in dies magis caligant.

GALENVS.

Secunda, ex compositione inuen-  
torum per resolutionem.

MANARDVS.

Si quis recte primam intellexerit, ei  
non difficile fuerit secundam hanc quo-  
que intellexisse. Sicuti enim resoluere  
est à cōpositis ad simplicia ire, ita cōpo-  
ponere. nere est à simplicibus retrogrado gressu  
in composita ferri. Et quemadmodum  
eam doctrinam resolutiuam uocamus,  
quæ intellecto fine, cuncta ad eam re-  
quisita certo ordine nihil prætermitten-  
do rimatur, donec ad elementa & prin-  
cipia artis uentum sit: ad eundem modū  
eam quæ inde exorditur, ubi illa desinit,  
hoc est ab elementis principijsq; artis,

&amp;

& ad eundem finem per eadem media solo mutato ordine graditur, compositum. Quem doctrinæ ordinē ueluti ad docendum ualde accommodatum seruasse Aristoteles, tum in dialecticis, tum in naturalibus uidetur; in illis à simplicibus ad complexa, à primis complexis ad magis complexa, id est ad syllogismos tendens: in his, id est naturalibus, à principijs & elementis ad magis magis composta semper accedens. Aucto- cenna quoq; in suo de medicina libro, quem Canonē appellauit, & in eo quē metro compositum Cantica nuncupauit, & Aueroys in eo quem Colliger, forte ab hoc procedendi ordine inscripsit, eundem doctrinæ modum securi sunt. Quem si non exactissime semper seruasse uidentur (quod certe erat diffi- cillum) neq; ipsi calumniandi, neque ego de mendacio notandus sum. Suf- sicere enim mihi uidetur, ad hoc ut aliquis liber ad certum doctrinæ ge- nus referri possit, quod initium faciat illi doctrinæ accommodatum, & ab

ei⁹ modo n̄iſi in paucis recedat. Nemo enim tā recte recta utitur norma , quin quandoq; denormet.

## GALENVS.

Tertia, ex definitionis dissoluti⁹ one, cui nūc innitimus. Vocare autem talem doctrinam licet, non ſolum definitionis dissolutionē , ſed & explicationem, ut quidam nominarunt, aut resolutionem, aut diuinationem, aut, ut alteri quidam, explanationem , aut, quemadmodū alij, expositionem.

## MANARDVS.

Doctrina definitiua dicitur , nō quia definit , uel definitionibus utitur , uel à definitione initium ſumit , ſed quia artis quam doctura eſt, generalem definitiōnem præponit, quibusdam ueluti capitibus omnes artis partes continentē: quæ capita rursus in partes diſſoluit, hasq; iterum in alias : nec ab eiusmodi ſectione, & membrorum declaratione deſiſtit, do nec

nec omnia ad artem spectātia , saltem in genere declarauerit. Velut si quis grāmaticam per hanc doctrinā tradere uoluerit , hoc uel alio non dissimili modo definiet: Grammatica est scientia literarum, syllabarum, dictionū & orationū: deinde singulas definitionis partes definiat, & in alias diuidat, ut literas in uocales, semiuocales & mutas, syllabas in longas & breues , dictiones in nomina, uerba , participia , & reliquas orationis partes, orationes, in congruas & incongruas : nec ab huiuscemodi diuisiōibus, definitionibus quæ cesseret, donec omnia ad grammaticam spectantia plene absoluere. Iste grammaticam per doctrinam definitiū tradidisse dicendus est. Quare autē uocetur definitionis dissolutio, satis clarum est . Definitionē enim quæ una erat , in plura membra dissoluendo partitur. Vnde & nō immerito explicatio nominari potest , quoniā illud quod in definitione quodammodo implicatū erat, ut conspici & intelligi possit, explicat & extēdit. Resolutio quoq; dicitur

*resolutio.*

non eodem modo, quo prima doctrina,  
sed resolutio definitionis, quia definitio  
nem ueluti totum quoddam in partes re  
soluit, Nam & hunc resolutionis modū  
inter alios supra collocauimus. Dicitur  
*Divisio.* etiam divisio, semper subintelligēdo de  
finitionis. Non enim est divisio, quæ est  
Dialectica methodus, quoniam nō me  
thodos hic, sed ordinatas doctrinas Ga  
lenus enumerat. Est autem definitionis  
divisio, quoniam, ut uisum est, definitio  
nem in partes ueluti totum quoddam di  
uidit. Quare uero à nonnullis explana  
tio, ab alijs expositio dicatur, satis ex di  
ctis patet. Nihil enim facere aliud uide  
tur, quam propositam definitionem ex  
ponere atq; explanare. Nihil tamen ue  
tat quin in hac doctrina, sicuti & in alijs  
duabus, & argumentationes uariæ & di  
uisiones fiant. Possunt enim sicuti Medi  
cina, ita omnes aliæ artes & scientiæ per  
singulam harum trium doctrinarū per  
fecte etiam cum demonstrationibus tra  
di. Quod si Drusianus nouisset, non in  
tantā absurditatē iuisset, ut nihil per do  
ctrinam

*or Drus  
ii.*

**Trinam definitiuam doceri assueraret.**

**G A L E N V S .**

Aggressi quidem sunt nonnulli Herophiliorum talem facere doctrinam, sicuti & Heraclides Erythreus.

**M A N A R D V S .**

Proposito trinario doctrinarum ordinatarum numero, seorsumq; singulis declaratis, nunc ostendit Galenus quo pacto antiquiores medici in usu earum se habuerint, cōtrario priori ordine hic procedens, à definitiua uidelicet incipiens, quam ultimam superius reliquerat, quia sic cohærere melius dicta dicendis videbantur. Satis uero planum est quod hic dicitur, nec aliam desiderat expositionē: tantum notandum est illud uerbum, aggressi sunt, uel, ut alij uertunt, tentarunt, quod conatum potius monstrare quam effectum uidetur. Herophilios clarū est eos dici, qui sectatores fuerunt Herophilii. Fuit Herophilus patria Calcedonius, inter rationales medicos non infi-

mus, discipulusq; Praxagoræ, ut primo artis curatiuæ scribit Galenus: qui eum tanti fecit, ut plerunq; eius sententiā probet, & definitionem suam medicinæ, ut infra uidebimus, inter alias elegerit. Per quam artem nobis per doctrinam definitiūam traderet, multa scripsit. Sed præter libellum de pulsibus, quem olim in latinum conuerti, nullam suarum commentationum uidere ad hunc usq; diem licuit. Inter multos eius sectatores celeberrimus fuit Heraclides iste Erythreus: nam Heraclides alius Tarentinus, ex secta fuit Empericorum, ut Celsus, Galenusq; testantur.

## GALENVS.

Aggressi & eā sunt, quæ secundum compositionem, ipsi quoque Herophilij, & nonnulli ex Erasistratis, atq; Athenæus Attaleus.

## MANARDVS.

Erasistratus Chius, ipse quoq; inter rationales celeberrimus, Chrysippi discipulus, Antiocho & Ptolemaeo regibus

bus gratissimus, s<sup>æ</sup>pe à Galeno, sed & ab ipso quoq<sup>z</sup> Cels<sup>o</sup> reprehens<sup>us</sup>, mul-  
tos habuit sectatores, sicuti & hic Ath-  
næus, numeratus inter rationales in li-  
bro qui introductorius inscribitur. Et  
princeps eorum sectæ qui Pneumatici  
uocantur, ut scribit Galenus libro quar-  
to de differentijs pulsuum. Hac doctri-  
na usi quoq<sup>z</sup> uidentur quicunq<sup>z</sup> post Ga-  
lenum medicinam ordinata aliqua do-  
ctrina scribere conati sunt, sicuti Auicen-  
na, Aleroys, Aliabas.

## GALENVS.

Nullus autem eorum, qui ante  
nos fuere, eā scripsit quæ ex finis  
intellectione incipit doctrinam, ex  
qua artes omnes consistunt secun-  
dum Methodum, id est uiam cum  
ratione.

## MANARDVS.

Satis quoq<sup>z</sup> clarum est, si quis nostrā  
expositionem sequatur, id quod hic Ga-  
lenus dicit. Nullus enim ante Galenum

118 IO. MANARDI IN GAL.  
inuenitur, qui medicinam per doctrinā  
scripserit resolutiuam: cum tamē pleriqz  
inueniantur, qui utroqz demonstrandi  
genere in medicina usi sint, atqz inter reli  
quos Hippocrates, sicuti à Galeno ipso  
multis in locis, sed præcipue in libris de  
elementis secundū Hippocratē, & in li  
bro de natura humana, manifeste osten  
ditur, ut falsus deprehendatur Arabs ex  
positor, Petrusqz Apon. & Iōga Latino  
rū caterua, qui ignorasse dialectica Hip  
pocratis putauere. Nec em̄ uerū est qđ  
in suo cōciliatore scripsit Aponēsis, Dia  
lecticam scilicet Hippocratis tempore  
inuentam non fuisse. Paulò enim ante  
Platonem Hippocrates fuit, imò Plato  
ne nascente Hippocrates celebris habe  
batur, ut in chronico scribit Beda. Dia  
lectica uero eo tempore ferè perfecta  
erat, ut quam Zenon Eleates Parmeni  
dis discipulus multo antea inuenerat, &  
Cleantes, Chrysippusqz maxime exco  
luerant. Extat & adhuc Hippocratis epi  
stola, i qua Thessalū filiū ad Geometriæ  
& Arithmeticæ studium excitās, totam

Geo

Geometriam in demonstratione consu-  
mi dicit. Sed de hoc aliâs latius locuti su-  
mus, nunc reliquam textus partem de-  
claremus. In ea expositores omnes mul Error omni  
tum hærent: qui enim resolutiuam do= um exposi  
ctrinam, demonstrationem quamob = torum.  
rem intelligunt, hi artibus quibusq; fa-  
ctiis, quantumq; uilibus usum nobilissi  
mæ demonstrationis dare coguntur.  
Omnes enim artes per resolutionē con-  
sistere, & hoc loco, & in libro de consti-  
tutione artis medicinalis Galenus do-  
cuit: qui uero demonstrationem ut sit,  
usum alterius demōstrationis à nobilissi-  
mis sciēt̄s surripere. Quod fugere non  
nulli uolentes, in pueriles admodum in-  
ciderunt expositiones, quas non est ope-  
ræ precium referre, præsertim cum uni  
uerbo innitantur, quod in nostra inter-  
pretatione nō habetur, pro methodo ra-  
tionem legentes. Recentissimi uero qui Error  
dam, mihi non nisi honoris gratia nomi Leon.  
nādi, legūt quidē ferè ut nos, sed hāc uo-  
cē Doctrinam, in fine clausulæ nō appo-  
nunt: sic em̄ scribūt, Neminē tamē ante  
nos

nos eam quæ oritur à notione finis, scri-  
 psisse comperimus, ex qua omnes artes  
 uia quadam atq; ordine constituuntur.  
 Et propterea leges grāmaticales sequē-  
 tes, quæ, ut dicunt, uolunt relativum no-  
 men semper referre id quod proxime an-  
 tecedit, relativum, qua, hic positum, re-  
 ferre aiunt finis notionem, quæ proxī-  
 mior est, & non doctrinam: & Galeni  
 sententiam esse, omnes artes constitui à  
 notione finis, plurimūq; interesse, si sic  
 dicatur, uel si dicat cōstitui ex doctrina  
 à notione finis inchoante. Nos qui ex si-  
 de duorum Græcorum codicum anti-  
 quissimorum transferre, ut translulimus  
 conati sumus, legi illi parentes (capitale  
 enim est legibus non parere) exponere  
 etiam ita Galenum cogimur, ut afferat  
 omnes artes secundum Methodum con-  
 sistere per doctrinam à finis notione in-  
 cipientem, quam resolutiuam uocant.  
 Nihil tamē uel certe minimi referre pu-  
 to, siue hoc, siue illo modo legamus, si-  
 cuti deo concedente, in fine procēmij  
 ostendemus. Nunc ad alia Galeni uer-  
     bade-

ba declaranda conuertamur.

GALENVS.

Sed illam quidem alibi pertran-  
siuimus, hic autem definitiuam fa-  
ciemus doctrinam.

M A N A R D V S.

Enumeratis declaratisq; omnibus or-  
dinatis doctrinis, ostendoq; quomodo  
eis ueteres usi sunt, nunc accedit ad prin-  
cipale huius proemij propositum, seli-  
gendo uidelicet eam, qua usurus est, ab  
alij, atq; eius dignitatem ostendendo.  
Primo ergo ait, se alibi illam doctrinam  
pertractasse, quæ per resolutionem fit,  
nuncq; eam se facturum pollicetur, quæ  
definitiuia uocatur. Patent autem omnia  
quæ hic dicuntur, nisi forte quispiā igno-  
rauerit ubi tractauerit Galenus eam do-  
ctrinam, quam se alibi dicit pertransisse.  
In quem locum nostri expositores impe-  
gerunt, putantes intelligi non certum li-  
brum, sed diuersos, in quibus demōstra-  
tionibus usus sit. Nos uero dicimus cū  
Arabe expositore, librum de constitu-

&

tione artis medicinalis intelligi, in quo  
& non alibi medicinā per doctrinā tradi-  
dit resolutiū. Quod certe ultra Arabis  
expositionē colligi ex ipsomet Galeno  
potest, scribente in huius libri fine hæc  
uerba: Dicitū quidē mihi est & prius, qd̄  
est unus aliis liber, in quo de constituti-  
one artis medicinalis pertractauimus.  
Nullū autē locū in hoc libro reperias,  
ubi uel fingere possis hoc dīci, nisi hūc.  
Sequitur ergo, ut librū illū intellexerit,  
in quo doctrinā resolutiūam executum  
se dicit. Hoc ergo pro constanti haben-  
tes, ad reliqua accedamus.

## GALENVS.

Quantū enim deficit ab ea quæ  
per resolutionē, & dignitate, et me-  
thodo, tantū abundantem inuenie-  
mus ad totius comprehensionem,  
particulariumq; memoriam.

## MANARDVS.

Priuilegia, atq; (ut ita dixerim) ponti-  
ficia doctrinæ huius definitiūæ hic ostē-  
dit, ut uel ex hoc ipso lectores reddat  
ad eam

ad eā capessendā audiōres, locūq; quēdā in legentiū mētibus sibi paret (quod proœmij officiū est) ad futurā orationē ostendensq; tametsi uincatur a resolutiua dignitate & methodo, uincit tamē eā quia ad totius cōprehensionē particula rīūq; memorīā locupletius deseruit. Resolutiuæ dignitatē, & methodi excellētiā nō probat, sed quasi illi cōdonat, qđ nos tamē infra examinabimus: sed qđ ad definitiuæ priuilegia atinet, statim declarat dicens.

G A L E N V S.

Facile enim memorabilia satis sunt omnia ex definitionis dissolu tione, eo quod totius artis in seipsa capita cōtineat bona definitio, quā nōnulli & substantiale nomināt, è contrario diuisam his quæ intel lectuales appellātur. Hæ em̄ ab his quæ accidūt rebus, quas definiūt, ille ab ipsa substālia habēt cōsistētiā.

M A N A R D V S.

Duas quidē doctrinæ definitiuæ præ eminenti

eminentias proposuit, sed quarum una ex altera pendet. Ex eo enim quod bona definitio omnia in seipsa artis capita comprehēdit, faciliusq; est unum quām plura menti commendasse, sequitur ut facilius per hanc doctrinam quæ omnia capita in una definitione complectitur, quām per reliquas duas, quæ hac carent comprehensione, omnia memoriae ualeant commendari. Appellauit autem hanc doctrinam definitionis dissolutiōnem, sicuti & in principio, ob causam à nobis superius expositam. Et quia prius legia hæc non omnibus definitionibus sunt communia, sed eis tantum quæ substantiales dicuntur, ideo non absolute & simpliciter cuiuis definitioni hos dixit conuenire, sed optimæ, quam à non nullis ait uocari substantiale, esseq; ex opposito diuisam eis, quæ notionales, uel intellectuales dicuntur, quoniam illæ ab accidētibus definiti, hæ ab ipsa substantia constituuntur. Notum enim est apud Dialecticos, præcipue Boëotium in libro definitionum, inter uarios definitionis

nitionis modos, quos ipse copiosos per censet, duos hos esse præcipuos. Vnum eius quæ proprie definitio uocat, quæ scilicet declarat qd res sit per essentialia; alium eius quæ solet descriptio nuncus pari, quæ rem aliquo modo per accidentia effingit atq; deliniat. Substantiam autem intelligere hic oportet, non proprie, ut contra accidentia diuiditur, alio qui in accidentibus non reperiretur substantialis definitio, sed rei, siue accidens illa sit, siue substantia, essentiam. Ut tamen ad propositum nostrū attinet, eam potissimum intelligere definitionē oportet, quæ artem quam docturi sumus, per essentialia, id est per ea, quæ essentialia arti sunt, & non accidentalia declarat. Deinceps quoniam hanc doctrinam dixit cōferre ad memoriam particulariū, ne quispiam diceret, quo pacto in particularium memoriam uenire ualebo, si ea mihi non antea fuerint explorata, propterea edocet ubi illa discenda sint, & quantum eorum cognitio tribus doctrinis sit utilis, inquiens.

## GALENVS.

Particularis autem executio uniuersae medicinalis speculatiōis, in multis alijs à nobis est scripta cōmentarijs, q̄bus uti licet ad tres doctrinas.

## MANARDVS.

Speculationis nomen, non propriē hoc loco accipere oportet, sed communiter, sicut & scientiæ nomen in medicinæ definitione, cum tota medicina factua sit iuxta Galeni sententiam, uti inferius sumus ostensuri. Quo uero libro singularia quærēda sint, ipse met in calce operis monstrabit. Nūc addit usui esse posse illa commētaria ad tres doctrinas, ne dum scilicet ad definitiūam, si quis per earum aliquam tradere medicinam uoluerit. In quo loco mirum est quām insufflisse errauerit Drusianus, uerba simul & mentem Galeni peruertens: quasi uoluerit non id quod diximus, & quod oratione ipse & significatio uerborū ostēdit, sed per figuratū loquendi modum, qui uix poētis conceditur, contrariū: posse uidelicet

uidelicet quēuis in cōmentarijs à Gale-  
no æditis uti tribus doctrinis , nimis cer-  
te audacter in hac parte grammatisæ  
functus officio . Et propterea merito à  
nonnullis reprehensus , qui Galeni hoc Alia expo-  
dictum ita intelligent , ut docere nos uo-tio Leon.  
luerit ad quem locum nobis recurrendū  
sit , quādo quid eorū quæ uel hic , uel in  
libro de constitutione artis medicinalis  
sub compendio dicta sīnt , distinctius uo-  
lumus cognoscere . Quorum tamē expo-  
sitionem neç ego probarē . Licet enim Contra L.  
uerū sit inueniri ea illic explicata , quæ on. exposi-  
hic concisim scribuntur , non tamen id tionem.  
intendisse Galenum hoc loco putandū  
est . Tum quia uerba illi sententiæ minus  
quadrant , quibus semper innitendū cre-  
brò Galenus nos monet : hoc enim non  
esset uti illis commentarijs ad tres do-  
ctrinas , sed resarcire quæ defunt libris  
per tres doctrinas scriptis . Tum quia  
etsi definitiæ , uel resolutiæ à Gale-  
leno traditis , aliquo forte modo hæc  
uerba coaptari possint . Certe com-  
positiæ secundum etiam ipsosmet sic

exponentes, nunquam quadrabunt: ut cum ipsi uolunt à Galeno in illis cōmentarijs, ad quæ nos nūc remittit, esse conscriptā. Quomodo enim diceret illis libris posse quem uti ad supplēda quæ de sunt in doctrina compositiua, si ipsimet libri, ut illi putant, sunt doctrina compo sitiua: nisi diceremus unum librum face re ad suimet supplementum. Nos tamē nō putamus Galenum reliquisse nobis medicinam sub compositiuo ordine, si= cut sub definitiuo & resolutiuo, ueluti in fine procēmij ostendemus, ad quem festinantes ultima eius uerba expone= mus huiuscemodi.

## GALENVS.

Sed nunc definitiua īcipia= mus, hoc iterum addētes, quod so= la capita & ueluti conclusiones eo= rum, quæ per diexodus demon= strata sunt, nunc dicentur.

## MANARDVS.

Dixerat Galenus, se uniuersa medicinæ præcepta, particulatiū in multis scr= psisse

psisse commentarijs, quibus uti posset quis ad tres Doctrinas scribendas. Sed nunc ait, definitiuam incipiemos, quasi diceret: In multis nostris commentarijs materia & ueluti supellex quædam para ta est medicinæ, per quamuis trium do ctrinarum tradendæ, sed nunc alijs duo bus dimissis, definitiuam aggrediemur. Additq; unum, quod auditorem maxi me attentum potest reddere, quod sola dicturus est capita, & ueluti conclusio nes, eorumq; per diexodus in alijs com mentarijs sunt demonstrata. Græco au tem nomine usus sum, quia non occur rebat latīna dictio, quæ idem nobis si gnificaret, quod Græcis Diexodos. La tius enim patet ea dictio, & modo ex cursim, modo exitum significat. Sed & Alexandro Aristotelis Topica enarran ti aliud significare uidetur. Eo enim dif ferre Dialecticum à rhetore dicit, quod Diexodicas orationes non facit, sed cū interrogationibus, respōsionibusq;. Ga lenus libro tertio Epidimiarum memo rare se solum uelle dicit ea quæ in alijs

locis declarata; non per diexodum doctrinam facere. Alio uero loco eiusdem expositionis doctrinam per diexodū factam, aduersus eam distinguit, qua in expōnendis aliorum cōmentarijs utimur. Et in expositione libri Hippocratis de fracturis, doctrinā quæ fit per diexodū, ab ea diuidit quæ fit per capita: hanc quidem ad memoriam, illam ad claritatem dicens aptiorem. Varijs igitur existenti bus uocis significatis, malui Græcā uocem relinquere, quam latinam loco eius reddendo multiplicis significati amplitudinem restringere. Si quis tamē à me scire cupiat quid hoc loco Galenus per diexodum intellecterit, dicā, nihil aliud meo iudicio, quam eam doctrinam, quæ non per capita tantū, sed explicatis cunctis late, & profuse fit. Dixit autem, ueluti conclusiones, ad ostendendū quod non essent uere conclusiones, sed similitudines quasdam earum in eo haberet, quod paucissimis uerbis plurima cōcluderet. Poterā hic finē fecisse procōmio, nisi fidem superius oppignerasset, me nonnull.

nonnulla disputaturum, quæ uel sobrie,  
uel nullo modo attigeram. Liberum ta-  
men erit unicuique ad artem ipsam fe-  
stinanti, his prætermissis quæ sequun-  
tur, ad Galenum conuerti. Prima igitur dubitatio est, an triplici illi nume-  
bitatio. omnes doctrinæ comprehendantur:  
cum uideamus multiplices in omnibus  
scientijs, multisque artibus libros, or-  
dine etiam quodam à præclarissimis ui-  
ris conscriptos, in quibus nulla harum  
doctrinarum est seruata. Et ut ex plu-  
rimis aliqua attingamus, Priscianus  
Grammaticen, Cicero Rhetoricen,  
Martianus omnes artes, quas liberales  
uocant, Celsus Medicinam, alij alias  
disciplinas nobis reliquere, atque cer-  
to cum ordine, in quorum tamen pro-  
cessu nullam harum Galeni doctrina-  
rum est reperire. Nullus etiam ordo  
melior uel singi potest, quam is, quem  
sapientissimus Deus in rerum fabrica  
demonstrauit. Quem si quispiam in scri-  
bendo secutus fuerit, eum certe nullus  
ordinate scripsisse negabit, & si nullo-

Galenī ordine se submiserit, ut si scriptus quis de uniuerso, à supremo ordinatur cœlo, & seriatim descendēdo ad centrum usq; terræ pertingat. Si de homine, primum de corpore, atq; ijs quæ ei subserviunt membris, pulsibus quoq; arteriarum & spiritibus, deinde de hepate et uenis ab eo ortis, uentriculoq; & intestinis, humoribus & concoctionibus, reliquisq; omnibus quæ ad hepar quoquā modo referri possunt, sicq; de cerebro, & testibus suam cuiq; familiam conficiendo. Ordo etiā quidam seruatur dum à facilioribus inchoantes, ad minus minusq; facilia seriatim discentem adducimus, nulla tamen trium doctrinarum in hoc processu dignoscitur. In Aphorismis quoq; ordo quidam uisitetur, & multis in locis à Galeno ipso notatur: quod si quis proterue neget, posse tamē Aphoristicas sententias ordini cuidam inhærendo scribi concedat, qui nō sit aliquis trium à Galeno numerorum. Definitiua rursus ab alijs duabus differre non uidetur: quoniam definitio uel per finem artis,

artis, uel per communia genera assignatur; si primū, īā erit resolutiua, quia à notione finis initium capiet: si secundū, cōpositiuā. Sed & cum nihil uetet utrique <sup>6</sup> reliquarum doctrinarum ordini definitionem generalem artis præponi modo procedendi accommodatā, misceri utrius aliarum posse definitiua uidetur. De <sup>7</sup> munū nulla est ratio, quæ nos cogat trinariū hūc numerū recipere, nullāq; amplius doctrinam excogitare; et si qua illa est, certe assignari debet. A subiecto præterea scientiæ, in quo tota sciētia potestate quadam continetur, patet aditus cum ordine ad omnia theoremata, à quo si qua doctrina incipiat, ordinata quidem erit, sed nō aliqua trium dici ualebit. Sed & Aristoteles in principio libri postremorum resolutiujorum, alias doctrinas agnouisse uidetur, & Græci eius interpres demonstratiuam addūt & diuisiūam: quam etiam Galenus ipse alijs in locis & agnouisse, & plurimi fecisse uidet, sicuti in libro de partibus artis medicinalis, ubi totam artem tradere

secundum eam uidetur: & nono Therapeutices, ubi dicit quod per eam omnes artes cōstituunt: & secūdo libro de differe  
tētis pulsū, eius & cōpositiū memini-  
nit, alijs prætermissis: & in primo Artis  
curatiū ad Glauconē, errores medico-  
rum ex eius ignorātiā maiori ex parte di-  
xit prouenire. Sed & Plato in Phædro  
eum hominem dei loco habet, qui artē  
bene calleat diuidendi. Hæc quidem ad  
uersus trinarium hunc doctrinarum nu-  
merum afferri posse uidentur. Verum

*lūtio du-* quod ad autoritates alias attinet, facilis  
*ationis.* responsio est ex ijs quæ circa literam no-  
tata sunt. Aristoteles enim & eius asse-  
clæ, aliter doctrinæ nomen quam Gale-  
nus accipientes, alias quoq; eius species  
facere minime mirandum est, quod ad  
diuisionem difficultis; quam diluere recte  
non possimus, nisi prius uideamus, an  
sit aliqua trinarij huius doctrinarum nu-  
meri approbanda uia. Vbi enim proba-  
uerimus, plures tribus ordinatas doctri-  
nas esse non posse, necesse erit aut diui-  
siuam à numero doctrinarum auferre,  
aut

aut in aliquam trium referre. Sunt ergo nonnulli se huius nouæ expositionis inuentores facientes, qui ordines, sub quibus unaquæque scientia tradi potest, esse tantummodo tres, ita probant: aut scientia explicatur eo ordine quo inuenit, & est resolutiva, aut è cōtrario, & est compositiva, aut definitur sciētia, et in docendo seruatur ordo partium definitionis, & est definitiva. Sed certe (qd' eorū pace dīctū sit) mera hæc uerba sunt tantum, at nihil probant: oportebat enim ad dere, quod sub nullo alio ordine sciētia tradi potest: quod ita ambiguum est, si- cuti id quod probare contendunt. Vi- deamus ergo nos, si quo modo ternariū istū numerū asserere ualeamus. Doctri na ordinata, de qua hoc loco Galenus loquitur, est quæ exordio à certo initio sumpto, ad secundum, tertium & quartū seriatim procedit, donec uniuersa artis theoremata certo ordine permeauent. Si enim ab aliquo intermedio incepit, ordine certo perlustrare cuncta non ualebit, ad utrum enim extreum,

Repros  
tur ratu  
Leon.

sise

si se conuerterit, perpetuum habere progressum uon ualebit. Sed ubi metam attingisse uidebitur, uel quædam dimittere, uel aliud initium sumere cogetur, & sic uel ab ordine cadet, uel partem artis intactam relinquet. Oportet ergo ut id à quo ordinata doctrina exorditur, ratio nem ueri initij habeat, quam habere nō potest, nisi omnia ad artem attinentia in se uia quadam concludat, terminisq; rationes habeat. Quæ duo cum in tribus tantum rebus inueniantur, relinquuntur tantum tria esse à quibus inchoare ordinata doctrina possit; sicuti tria sunt, quibus quasi terminis, ac limitibus clauditur, principia uidelicet & finis, quæ extremi ueram rationem habent, ac definitio, quæ & ipsa terminus dicitur, quia tota scientiam, duo illa uidelicet extrema cū omnibus intermedijs, includit. Sed & utruncq; aliorum uniuersam quoq; scienciam uirtute quadam cōtinet, principia ueluti, uel communia, uel priora, finis tanquam necessitatem omnibus imponens. Quod si tria tantum sunt à quibus orsa ora

orsa ordinata doctrina, & uniuersa artis  
præcepta ex ordine ualet percurrere,  
nec inueniri quartum, etiam nec effingi  
imaginanti, ad hoc idoneum contingit,  
relinquitur tantū esse tres ordinatas do-  
ctrinas; & si aliæ reperiantur, quæ in has  
referri non possint, eas ordinatas dici nō  
debere, eo uidelicet modo, quo Galenus Solutio ;  
me argu  
mētation  
loquitur, licet fortasse latius sumpto or-  
dinati uocabulo, ordinem aliquem præ-  
se ferre uideantur. Ferè enim qui extant  
in omnibus artibus libri, ueris his Gale-  
ni ordinibus carentes inuenias, et si quē  
ex tribus præ se ferunt, definitiui potius  
q̄ aliorū similitudinē gerūt. Nec si quis  
ordinē rerū sequat̄, is propterea ordinata  
doctrinā cudit; alius quidē ordo in re-  
bus, alius in doctrinis est attēdēdus. Nō  
ēm nos facimus res naturales, sed uel cir-  
ca eas speculamur, uel ipsas ad aliquē no-  
strum usum arte & ingenio accommo-  
damus: atq̄ uaria sunt hominum inge-  
nia, diuersaq̄ educatio, & eruditio, ita  
euenit ut alijs alia faciliora difficilioraue  
existant. Et propterea qui ex faciliori-  
bus

bus inchoat, nisi ex uno illorum triū ea  
sint generum, à quibus exordíri ordinata  
tam Galenī doctrinam demōstrauimus,  
ordinatam doctrinam nequaquam cona  
stituit. Vix tamen faciliora aliqua repe  
rias, à quibus ad totam artem ordinate  
progredi possis, quæ in aliquod trium à  
nobis dīctorum initiorum non referan  
tur: sicuti & subiectum artis, quodcunq  
nam illud statuatur, uel in finem recidet,  
uel in principia, uel sub definitionem:  
sub qua licet principia & finis compre  
hendantur, nō propterea à reliquis dua  
bus definitiua doctrina non distingui  
tur, sicuti si etiam illæ quandam præmis  
serint artis definitionem, modo suum  
quæcūq ordinem seruet, propriam speciē  
non amittent. Ex his omnia dilui posse  
arbitramur, quæ aduersus ternarium  
istum doctrinarum numerum affereban  
tur, præter id quod diuisionem unam ex  
ordinatis esse probat: quod tanti mo  
menti est, ut qui nostra tempestate maxi  
mi Galeni sectatores habitis sunt, ei ma  
nus dare coacti sint. Quidam enim ab  
solute

solute dicunt resolutiuam doctrinā esse diuisiuam, Galeni autoritate moti, qui nono Therapeutices loquens de diuisio ne, quæ à generalissimis incipiens ad penitus indiuisibilia attingit, ita ad literam ait: Hanc enim nos Plato docuit Methodum constitutionis cuiuslibet artis. Hoc uero priuilegium, scilicet consti tuēdi omnes artes, cum Galenus in hoc proœmio, & in libro de constitutione artis medicinæ resolutiuæ tribuerit, colligi necessario putant, resolutiuam non esse aliud quam diuisiuam. Alij dicunt ordinē diuisiuæ reduci ad resolutuum: quia eodē ferè ordine omnes medicinæ partes per diuisiuam methodū in lib. de partibus artis medicinæ inueniuntur, quo per resolutiuam: & Methodus diuisionis ibi uocatur resolutio, incipitq; à partibus fini propinquioribus, & desinit in remotiores, quæ sunt primæ in ordine cōpositiuæ. Et cōsequenter dicūt, non differre librum de partibus à libro de constitutione, nisi quod in illo partes solum inueniuntur, in hoc & inueniuntur.

Opinio  
Leon.

tus

tur & docentur. Et quia idem ferè ordo  
 in utroq; seruatur, ideo Galenus tres tan-  
 tum & non quatuor ordines numerauit,  
 diuisiuum cum resolutiuo computans,  
 uel ad eum reducēs. Et in hoc iste secū-  
 dus laudat priores, qui doctrinam reso-  
 lutiuam eandem cum diuisiua putarūt,  
 probro tantū eis dans, quod modos do-  
*Contra*ctrinales putauerint doctrinas. Sed equi  
*Leon.* dem qui sic dicunt, mihi uidentur eundē  
 lapidem cum primis uoluere, ut qui sem-  
 per in tota sua disputatione diuisionem  
*Prima* cum dialecticis Methodis computarūt,  
*ratio.* seu modis, ut dicunt, doctrinalibus, &  
 nunc demum eam inter Galeni doctri-  
 nas connumerent, & esse eandem cum  
*Secunda* resolutiuua putent. Sed cur nō sit eadem  
*ratio.* pariter cū definitiuia, cum eidem æque,  
 imò forte magis subseruiat. Videbimus  
 enim Galenum posita definitione parti-  
 culas eius statim conscindere, partesq;  
 medicinæ in hoc libro non aliter quam  
 per diuisionē uenari, cū in libro de artis  
 medicinalis cōstitutiōe, multa p resolu-  
 tionē absq; diuisione rimetur. Sed & hāc  
 defini-

definitiuā dico, posse diuisiuam appellari superius approbauit. Sinamus ergo diuisionem unā cum reliquis Dialecticis methodis doctrinis nostris ancillari, reddamusq; potius rationem, cur inter dominas eā collocare dedignamur. Dividere non possumus nisi adsit quod dividamus. Illud autem quo diuisio, quodamq; ordine subdiviso, cuncta ad artē spectatiā certo ordine explicari possunt. Vnū illorum trium necessario est, quæ superius inuestigauimus, uel potius à Galeno inuestigata, in memoriam reuocauimus, principia scilicet, finis notio, uel cōmunis definitio: à quo uno orsus si ordine quodam, cum adminiculo etiā diuisionis, cunctas artis partes perlustraueris, non diuisiuam doctrinam, sed unā ex tribus à Galeno numeratis cum seruatio diuisionis efficies. Ancilla igitur doctrinarum est diuisio, non doctrina. Ne propria tamē laude diuisiuam hanc fraudare uideamur, dicimus eam ex hoc maxime laudandam, quod ad spectatiuas actiuasq; scientias, & factiuas artes plus

rimum cōducit, in omnibusq; humanis  
 rebus est utilissima, hoc proprium ha-  
 bens, quod sicuti est ad descendum faci-  
 lis, ita est, ut inquit Plato, ad usum diffi-  
 cillima: ut mirum non sit, si eum loco dei  
 habiturum se dixit, qui ea optime uti no-  
 sponsum rit. Merito ergo multis in locis eam lau-  
 rationē davit Galenus, & Methodum esse dixit  
 rimā op̄. per quam omnes artes constituerentur,  
 ositionis. tanquam scilicet per idoneū instrumen-  
 tum, quo resolutiua cōmode utitur. Li-  
 ber uero de partibus, quantum definit à  
 libro de constitutione, legenti utrumque  
 drationē facile patere potest. Scopos enim & pro-  
 positum illius est inter diuersas medici-  
 nāe diuisiōes cognoscere, quae sit utilior.  
 huius artem medicinalem construere,  
 modo quo aliae artes in libro de omniū  
 artium constitutione sunt constructæ.  
 Nec si diuisiua Methodus illic resolutio-  
 uocatur, propter hoc sequitur, ut sit do-  
 lut. alte= Ctrina resolutiua, cum & definitiuam su-  
 us ratiōis perius Galenus concederit uocari reso-  
 lutionem, & in libro De constitutione,  
 dissolutionem domus in partes, eodem  
 reflo

resolutionis nomine appellauerit, & un  
decimo Therapeutice īuestigationē  
curationis febriū putridarum eodem re  
solutiōis nomine dignatus est. Cū ergo  
late, ut supra monstrauimus, resolutio-  
nis nomen pateat, aliudq; sit resolutio,  
aliud doctrina resolutiua, qd' & ipsi non  
diffitentur, si is qui diuidit unum in mul-  
ta resoluit, non propterea doctrinam eū  
resolutiuam facere concedimus, nisi alia  
quoc; concurrant, quæ ad doctrinā Ga-  
leni resolutiuam diximus esse necessa-  
ria. Tres ergo esse tantummodo doctri- Secunda  
narum ordinatarum maneries ex dictis, bitatio.  
ni fallor, manifeste concluditur. An ue-  
ro eas quas diximus, Galenus intellexe  
rit, ambigere adhuc quisquam posset,  
præsertim cum præceptores, maio-  
rēsque nostri aliter eius dicta accepe-  
rint, recentissimique nonnulli ex Hi-  
spania, ut audio, nouam Galeni circa  
has doctrinas sententiam portauerint.  
Quæ Patauij per eos primo, demum in  
Ferrariensi & Papiensi gymnasio per  
alios est diuulgata. De qua duicquid

inio no= cognoscere potui, breuiter explicabo.  
de tribus Doctrinam resolutiuam, uti superius di  
trimis. ximus, esse putant diuisionem, composi  
tiuam, compositionem, eorum quæ per  
diuisionem inuenta sunt. Et hanc dupli  
cem esse rentur, prædicatí scilicet cum  
subiecto, & unius enunciationis cū alia.  
Definitiuam, quamcūq; definitionem,  
quæ rem ipsam declarat. Definitionem  
enim quid nominis dicunt esse finis no  
tionem. Ad huius etiam nouæ expositi  
onis assertionem, Galeni testimonium  
afferunt primo Therapeuticæ contra  
Thessalum hoc pacto loquentem: Dic  
in primis quid sit morbus, quid accidēs  
quid dolor: & diuide definiendo unum  
quodq; horum trium, ut scias quid horū  
iunctum cum alio unum constituat. Ec  
ce ergo inquiunt, quomodo primo ha  
betur notio finis, id est definitio qd no  
minis, postea diuisio, mox definitio, de  
ntrano= mum compositio. Vide quām pulchre  
n opinio ex Galeno suam deliniant Chimæram,  
ex uarijs rebus fabulose confictā. Nam  
ut à capite incipiam, ubi nam didicerūt,  
quod

quod notio finis sit definitio quid nomi  
nis? Nullus enim Dialecticus, uel Philo Primus  
sophus, siue antiquus, siue recens, hoc lo-  
quendi modo usus est, ut definitionem  
quid nominis uocatam, notionem finis  
nuncupauerit. Galenū tamen uidebant  
ubiq; eos insectantem, qui communem  
loquendi modum nō sequuntur. Satius  
profecto erat ab ipso Galeno discere,  
quidnam esset per notionem finis intel-  
ligendū, quam sibi adeò pueriliter hæc  
omnia confingere: cum præter hunc lo-  
cū bis in his quæ ad manus nostras per-  
uenerūt libris, notionis finis mētionē ha-  
buerit, in libro scilicet de Artis medici-  
nalis constitutione, & in eo cui titulus,  
An salubre ad artem medicinalem, uel  
exercitatoriam pertineat; in utroq; quo-  
rum clare demonstratur uoluisse, finem,  
ex cuius cognitione artes constituūtur,  
esse uerum artis finem, nō autem nomi-  
nis definitionē. In hoc enim dicit finem  
esse regulam, & iudicium omnium quæ  
in arte pertractantur, per eāmque artes  
distingui, ac separari: in illo sanitatem

ipsam, quā facere uel seruare uolumus  
esse finem, cuius notio principiū est me-  
dicinalis artis constituendæ, quæ priuile-  
gia, si quis nominī cuipia attribuerit,  
ab omnibus merito erit deridendus.

*undus.* Quod etiam doctrinam resolutiuam nō  
recte senserint esse diuisionem, satis me-  
*certius.* superius probasse puto. At quod de cō-  
positione intelligunt, certe adeò pueri-  
le est, ut illud me prosequi pudeat: præ-  
ter enim id quod confundit inuicem, &  
commiscet tres Galenī doctrinas, in o-  
mnibus quoq; libris doctrinam ordina-  
tam esse cogit, cū nullus liber sit in quo  
compositio utraq; non reperiatur, sim-  
pliū uidelicet uocum, & orationū:  
& si præcessisse diuisionem uolunt, pau-  
cos etiam inuenient libros, in quib; ali  
quando diuisiones non fiant, & post eas  
compositiones. Sed si non alias duas uel  
unicam definitiuam poterant ex hoc li-  
bro intelligere, quam tamen modo suo  
intellectam, non uideo quomodo ma-  
gis in hoc libro inuenire, quam in alijs  
possint: cū paucæ in eo sint, definitionē  
diuisiō-

diuisiōnum, compositionumque (si modo suo hac intelliguntur) comparatione. Ex Galeno quoque quae adducunt uerba qualiacunque sint (corrupta enim esse statim monstrabo) perperam intellexerūt, quando nihil illis commune cum nostris tribus doctrinis inuenitur. Redarguit enim ibi per longum processum Thessalus, qui de morbis tractaturus, & earum species enumeraturus, differentias tantummodo assignauit morborum, alios esse solutos, alios astrictos dicens, in uerbis que ab eis recitatis docere Galenus Thessalum uidetur, quonam modo recte procedendum erat, morborum species inuestiganti, sic scribens ad uerbum: Oportuit enim & hic primo dicere, quid morbus, quid accidens, quid passio, postea determinare, ubi idem est singulum dictorum, & ubi non idem: quibus hoc modo peractis, iam tentare diuidere ipsa in proprias differentias, iuxta Methodum, quam nos Philosophi docuere. In quibus Galeni uerbis nulla de tribus doctrinis

mentio, ut ad eum locum minime pertinetibus. Sed quoniam disceptatio erat, quomodo tria illa, morbus uidelicet, accidentes, & passio, in uicem conueniret, differrerent, ideo primum uidendum fuisse ait, quid singulare illorum esset. Non enim, ut ipse alibi dixit, differentia inter aliqua statuere recte possumus, nisi quod sit unumquodque eorum, seorsum cognoverimus. Deinde uidendum erat in quibus conuenirent, in quibusque differerent. De modo iuxta diuisionis methodum ab antiquis traditam, tentandum erat ea dividere per proprias differentias. Tentare autem dixit, quoniam, ut diximus, facile discitur ars dividendi, sed difficillime perfecte ad opus refertur. Et haec quidem sat sicut aduersus hanc nouam opinionem.

pi. T.

Fuerunt & alij Patauij eo tempore, quoniam Ferrariæ hunc librum profitentes, qui nullo fundo innixi, nouam, ut ipsi uideri uolebant, struxere expositionem, per doctrinam resolutiuam partem medicinæ Theoriken, per compositiuam Practicen intelligentes; qui certe parum ad Galæ

Galeni lucernam se uigilasse demōstrāt.  
Cuius si uel primas euoluissent paginas,  
facile cognouissent, totā apud eum me-  
dicinam factiuam esse, nec inter tot ab  
eo in libro de partibus medicinæ, secun-  
dum aliorum etiam sententiam, positas  
medicinæ diuisiones, huius fieri menti-  
onem, quæ in Theoricen & Practicen  
secatur. Quam tamen si Galeni omnino  
esse contendebant, poterāt nihilominus  
cognoscere utrancq; partem sub resoluti-  
uo ordine in libro de constitutione ab  
eo fuisse conscriptam: cum principio ex  
notione finis sumpto, tā ea quæ ad The-  
oricen spectare à neotericis dicuntur,  
quām ea quæ ad Practicen, ibi fuerint in  
uestigata. Adhuc fortasse aliquis ambi-  
get, percunctabiturq; , unde nam nos in  
hanc sententiam uenerimus, ut longissi-  
ma præscriptione, quasi iam tutas op-  
niones tam facile de antiqua possessio-  
ne turbaremus. Aperiam ingenuerem.  
Mouit me primo uir ille, quisquis ipse  
fuerit, qui commentarium in librum de  
sectis scripsit, doctrinam resolutiuam in

Tertia du-  
bitatio.

eo libro agnoscens, ubi nulla demōstratio. Confirmauit Galenus in libro De constitutione medicinæ , absque demonstratiōne resolutiō ordine Medicinam conscribens . Resolutiua cognita, facile fuit compositiū pariter, ut eadem quidem uia , solis transpositis terminis procedentem agnouisse, definiū ex hoc libro promptum fuit intelligere. Confirmauit me in sententia Leonicenus nostra aetate in expugnanda barbarie dux atrocissimus , bonusq; ille Arabs Galeni expositor antiquis : quem quoniam nonnulli magni hac tempestate, in eadem alea cum reliquis ponunt, ideo necesse est mihi monstrare, quod eiusdē nobiscū sentētiæ fuit. Quod certe nō erit difficile ex dictis eius barbaris sensum elicēti. Prima quidem sua commentatione conformiter ijs , quæ ex Galeno diximus, declarauit quæ esset ordinata doctrina, & quæ carentis ordine: per hanc nō habere nos dicens id quod quærimus , id est perfectā & completam artem, quia scilicet nō inde

de inchoat, unde oportet, nec ad finem usq; pertingit. Sequēti deinde commen-  
tatione, primam, hoc est resolutiūam doctrinām probe declarauit: prius ta-  
men per exemplum quiddam ostendit,  
non doctrinām resolutiūam, de qua Ga-  
lenus loquitur, sed resolutionem, à qua  
nomen resolutiūae sortita est: accusans  
nonnullos, qui non congruenti doctri-  
na Galeni exemplo resolutionem decla-  
rauerunt, per corporis compositi in par-  
tes componentes resolutionem, eam  
declarare uolentes. Et merito quidem  
eos taxat: in Galeni enim resolutione  
non totum aliquid compositum in par-  
tes, sed finis ipse, qui unus est, in plura  
ad eum requisita resoluitur: quæ reso-  
lutio cū resolutione conclusionis in sua  
principia magnam gerit similitudinem.  
Conclusionis enim præpositionum respe-  
ctu, rationem finis habet: & sicut in  
hac conclusionis resolutione non sta-  
tur, donec ad prima principia uen-  
tum sit, quæ in alia priora resolui non  
possunt, ita & in hac Galeni doctrina  
cessans

cessandum non est, donec prima artis  
 theoremata inuenta sint. Et hanc quidē  
 conclusionis resolutionem Geometris  
 ait esse non ignotam, alijsq; sc̄iētiarum  
 magistris, Aristotelisq; in librīs, quos  
 hanc pr̄sertim ob causam resolutorios  
 appellauit, non de doctrina Galenilo-  
 quens (ut aliqui putant) sed de conclusi-  
 onis resolutione, à qua illa, ut diximus,  
 originē sumpsisse uidetur. Exponit au-  
 tem uerba quādam, quæ Galeni puta-  
 bat, doctrinam hanc aperientia, quæ ab  
 aliquo, primo apposita expositionis lo-  
 co fuerant, deinde (ut s̄æpe accidit) te-  
 xtui inserta: quorum sententia est, statu-  
 endum esse in mēte finem scientiæ, quā  
 docere intēdis, uel inuenire. Quem qui  
 dem finem non insulſe expositor Arabs  
 uocauit, quæ situm, est enim illud quod  
 quærimus, & cuius gratia laborem uel  
 inueniendi, uel docendi artem assumi-  
 mus. Deinde illo scilicet fine in mente  
 seruato, uestiganda ea sunt, sine quorum  
 notitia perfecte haberi ea ars nō potest,  
 quæ ad illum finem conducit: nec à tali  
 uestiga-

uestigatione desistendū, donec ad princi-  
pia uentū sit. Quem procedēdi ordinē,  
in commentationis calce adeò in medi-  
cina declarat, ut uel ex hoc ipso optime  
calluisse uideri possit, quæ nam esset illa  
doctrina, quam Galenus resolutiuā uo-  
cauit; cū nulla ibi demonstrationis men-  
tio habeatur, sed resolutio tantū usq; ad  
principia artis fiat. Nec quæ de demon-  
strationibus in sequenti commentatio-  
ne dicuntur, si litera, ut in antiquis exem-  
plaribus, & in ijs etiā quæ primo æneis  
formis excusa sunt, iaceat, aduersus no-  
stram opinionem tendit, imò, si bene at-  
tendatur, eam potius confirmat. Non  
enim dicit demonstrationes esse has do-  
ctrinas, sed quod demōstrationes in eis  
sunt. Quod certe non dixisset, si has do-  
ctrinas esse demonstrationes, sicuti illi  
impingit, putasset. Quis enim diceret in  
demōstratiōe fieri demōstrationē? Et id  
quocq; qd subdit, ueritate nō caret, si re-  
cte intelligat. Nihil em̄ aliud in fine ter-  
tiæ cōmētationis uoluit, q; demōstrati-  
onem quamobrē cōpositiūæ, ut res sit,  
resolu-

154 IO. MANARDI IN GAL.  
resolutiæ esse magis accommodatam.  
Licet enim nihil ueret nos in utraque  
doctrina, ueraque demonstratione uti,  
doctrinæ tamen compositiæ à priori-  
bus ad posteriora procedenti, ea demon-  
stratio conformior est, quæ eundem pro-  
cedendi modum seruat, sicuti resoluti-  
uæ, quæ contraria gradit, id est à po-  
sterioribus in re ad priora, demonstra-  
tio, ut res sit, quæ eodē & ipsa calle pro-  
greditur. Sed sexta quoque commenta-  
tione apertissime ostendit, se eo præci-  
se modo intellexisse doctrinam com-  
positiuam, quo nos eam declarauimus:  
quod certe esse non poterat, nisi resolu-  
tiuam eodem pariter, ut nos, modo in-  
tellexisset, quoniam ut ipsem et tertia fa-  
tetur commentatore, compositiæ ses-  
mīta resolutiæ contraria est, & per  
eam intelligitur. Commentatione quo-  
que sua octaua, agnouisse se ostendit li-  
brum, in quo per doctrinam resoluti-  
uam medicinam tradidisse Galenus fa-  
retur, quem librum ipse bonus Arabs  
de doctrina artis medicinæ nuncupa-  
uit.

uit. Hæc sunt quibus ego motus, puto  
ueram Galeni sententiam Arabi expo-  
sitori fuisse exploratam. Quamuis uero  
dixerit, ideo nobis Galeni trinarium nu-  
merum doctrinarum proposuisse, ut ad  
Dialecticam animaret, nō propter hoc  
sequitur, putasse eum in his doctrinis  
includi duplē demonstrationem; nā  
sicut demonstrare absque Dialectica ne-  
scimus, ita nec recte resoluere uel com-  
ponere. Quod non ideo dicimus, ut eius  
in hac parte sententiam approbemus,  
sed ne propterea credatur, ut multi cre-  
dider, has doctrinas demonstrationes  
putasse. Dubitare rursus contigit, quem *Dubitatio-*  
nam nobilitatis ordinem tres istæ do = *quarta.*  
ctrinæ sibi inuicem collatæ obtineant.  
Galenus resolutiuam definitiæ digni-  
tate & Methodo, ut uidimus, præpo-  
nit, sed qua ratione, & quomodo, non  
expressit. Nos autem dicimus resolu-  
tiuam digniorem, tum quia à notione  
finis, causæ uidelicet diuinæ & nobis  
lissimæ exordium capit, tum quia non  
solum docet, sed inuenit, & consti-  
tuic,

tuit. De hac enim doctrina loquens Galenus ait, ex qua omnes artes secundum Methodum consistunt, uel, ut alij legunt, constituuntur. Nō enim quod in expositione illius literæ tetigimus, in hoc loco illis accedimus, qui iuxta grammaticales leges relativum semper id quod propinquius est, referre putantes, nō doctrinam,

**Contra L.** sed finis notionem esse dicunt, ex qua omnes artes constituti Galenus asseverauerit. Et multum differre putant, siue hoc, siue illo modo intelligamus. Sed credimus ex fide Græcorum exemplarum apponēdam, ut nos uertimus, in fine illam uocem Doctrinam: quæ etiam si nō apponatur, relativū Qua referre doctrinam arbitramur, legi, ut ipsi uocant, illi minime obsequētes, ut quam uideas mus à probatissimis linguae latīnae autoribus, imò ab ipsis met eam promulgatis, Celsus. bus neglectā. Celsus enim, ne à nostris scholis discedamus, ubi curationem carbunculi docet, ita scribit ad literam: Sequitur sub medicamentis, crusta undicib; à uiua carne diducta, quæ trahit secum quicquid,

quicquid corruptum erat. Nemo autem ambiget non carnem, per relatiū, quæ, referri, sed crustam, sed longinquiorem, non propinquiores dictionem. Siquidem non caro uiua, sed crusta ipsa est, quam trahere secum quicquid corruptum est, uoluit Celsus: alioqui non toleretur corruptio, sed potius in partem sanam procuberet. Sed nonne ipsum et Galeni prima de hac doctrina uerba hoc modo uertentes, prima quidem ex notione finis, quæ per resolutionem fit, relativum quæ, non notionem finis, sed doctrinam referre, fateri coguntur? Alioqui si id quod est propinquius, id est notionem finis referret, non à finis notione, sed à resolutione, hæc doctrina inchoaret, & notionem finis resolutio præcederet, quod & Galenus, & ipsimet negat. Quam uero nihil intersit, sed in idem esse recidat dicere, quod per notionem finis quicquid per omnes artes constituuntur, uel per doctrinam resolutionis, hinc disci potest: refutatur. quoniam notio ipsa finis per se absque resolutione artem ipsam construere ullo pacto non ualeat. Qui ergo dicit, per no-

tionem finis omnes artes constitui, dicat is quoq; necesse est, per resolutiuam doctrinam hoc fieri: quod & ipsimet negates, ueritatis ui coacti, in suo commētario non dissidentur, præsertim eo loco, ubi artes tam factiuas quam spectatiuas per ordinem resolutorium inueniri afferunt: doceri uero per eum tantummodo factiuas, atq; eo etiam ubi per modum resolutionis à fine noto illa sumi dicunt, quæ faciunt ad artis cōstitutionem. Sed nec aliter Galenus in libro De constitutione artis medicinalis, ex finis notione medicinam constituit, & alias artes constitui dicit, quam per hanc doctrinam: & in libro cui titulus, An salubre ad artem medicinalem, uel ad exercitatoriā pertineat, postquā dixit, hinc, id est à fine noto cuiusc; artis constitutio sumpsit initium, quibusdam interiectis, subdit: Sed quæ omnes artes inuenit, hinc sumpsit initium. Clarū autem est, quod per illam quæ omnes artes inuenit, non potest intelligere, nisi doctrinam resolutiuam, cum per aduerbium, hinc, intelligat finem notum, per relativum intelligi

gi finis notio nō potest, quoniam seque  
retur, quod finis notio à fine noto sum-  
psisset initium; nec alia res occurrit, à fi-  
ne noto incipiens, per quam ex Galeni  
sententia possimus dicere artes omnes  
constitui, nisi hæc doctrina resolutiuā.  
Demus ergo ei & hanc dignitatem: exi-  
gua enim illam dignitate illustrant, qui  
ei ex hoc nobilitatem tribuunt, quod in  
de incipit, unde omnes artes habent con-  
stitutionē, cum ab eodem loco, antea ma-  
bulones & reges, līxæq; & imperator  
pleruncq; recedant. Sed de hoc iā nimis  
multa, satis enim ostendimus resolutiuā  
digniorem esse quam definitiuam. Cui  
etiam Methodo, eo præferēda est, quod  
certe uia & ordini melius inhæret. Me-  
dia quæ ad artem consequendam sunt  
opportuna, unum post aliud certa qua-  
dam serie, & una quasi catena peruesti-  
gans: in definitiuā tam certus, tanquam  
necessarius, & stabilis ordo non reperi-  
tur. Imò neq; ipsum initium, id est ipsa  
definitio stata & firma est: uarias etenim  
definitiones huic doctrinæ inseruire ni-  
hil uerat, modo artis partes uniuersales

*Contra eius  
de Leon.*

comprehendāt, posset enim quispiam  
 & per hanc definitionem medicinā tra-  
 dere: Medicina est ars, quæ uictu, medi-  
 camentis, manu, sanitatem in humano  
 corpore, uel reficit, uel cōseruat, uel per  
 aliam quamvis omnes artis partes com-  
 prehendentem. Nam & eam qua hic uti-  
 tur Galenus, alijs in locis ipsemēt (ut in-  
 ferius patebit) non probauit, nec apud  
 eum absurdum est eandem rem per plu-  
 res declarari definitiones, quæ etiā sub-  
 stantiales dici possint. Liquere ergo iam  
 arbitror, quod resolutiuā definitiuā di-  
 gnitate uincat & Methodo. Illud dein-  
 de supereft, ut examinem an eadem re-  
 solutiua superet cōpositiuā: quod cer-  
 te tanto erit difficultius, quanto minus à  
 Galeno, uel alio, quod sciam, uestigatū.  
 In resoluti-  
 a excellat  
 cōpositiuā. Ego aliquando totam hanc disputatio-  
 nem breuibus sic absoluebam, resolutiuā  
 dicēns præstare in inueniendo, cō-  
 positiuā in docendo, definitiuā in  
 memorando: sed nunc maturius consi-  
 deranti, uidetur per hæc dicta quæsito  
 nō plene satisfieri, cum adhuc in dubio  
 sit, quænam absolute præstatiōr. In quo  
 dubio

dubio mihi tenendum uidetur, quod resolutiua sicut definitiuam, ita & compositiuam superet: rationes enim quæ à fine, ab inuentione, constitutioneç artiū contra definitiuam sumebantur, aduersus utrāç æquo Marte contendunt. Ne que illis consentimus, qui dicunt, quicquid hæc inuenit, ad hunc finem inuenire, ut compositiua id digerat, & copiosius edisserat, & propterea compositiua esse nobiliorem: sicut finis nobilior est, quam ea quæ sunt ad finē. Sed dicimus resolutiua proprio artis fine esse contentam, posseç non solum inuenire, & per capita artem docere, sed copiosissime eam digerere & enucleare, tantūç absimus ut compositiua meliorem dicamus resolutiua, ut potius affirmemus, quicquid boni compositiua habet, id totum à resolutiua consequi: tolle enim resolutiua, nihil habebis quod componas. Adde quod ut dixit Philoponus in libro Priorū, qui resoluere nouit, nouit etiam cōponere, non è contrario. Sed et Ammonius idem quoç sensit cum Philopono, apertissime etiā attestans, quod

Contra  
Leon.

arte, dignitate, copia, & perfectione, resolutiua cōpositiuam præcedit. Et licet de Methodis , non de Galeni doctrinis loquantur, par tamen in utrisq; ratio, cū negari non possit , à Methodis quibus utuntur, doctrinas ipsas & nomen & es- sentiam atq; ut sequens est , dignitatem accipere. Quod quidem & èvidentia rei ipsius ostendit , quando & ante Galenū nonnulli, & post eum plurimi medicinā nobis per compositiuam tradere conati sunt, nullus per resolutiuam. Præferenda ergo absq; dubio reliquīs resolutiua, & primas tenere dicenda : quam secun- do loco sequitur compositiua, Metho- do quidē, id est uia cū ordine, definitiū præcedens, quoniā eodem calle regredi- endo procedit , quo gradiendo accesserat resolutiua: dignitate etiā, quoniam à simplicioribus prioribusq; & dignissi- mæ demōstrationi , ei uidelicet quæ per causas pbat , maxime ut supra diximus, accommodatis, capit exordium. Et spe- ciatuæ sciētiæ cæterarum nobilissimæ, maiori ex parte per eam nobis sunt tradi- ta, ad idq; tandem præstantiæ accedit, ut nisi

ut nisi inuentionis beneficiū obstareret, uix resolutiū locū cederet. Hæc ergo est nostra de nobilitate trīum doctrinarum sententia: cui satis etiā consentire Galenus uidet, eodē præcise ordine, quo nos unam post aliā disponens. Quod si comparationes alias seorsum non fecit, resolutiuam uidelicet cōpositiuæ in honore præferens, sicut definitiuæ, non exinde capere argumentum licet, ut nōnulli innuent, quod cōpositiuā dignior sit resolutiuā. Pari em̄ argumēto probaremus, *Contra* *Leon.* cōpositiuam dignitate definitiuā non præcedere, quoniam nec has comparauit, ut cuius propositum non esset dignitatem cuiusque harum inuestigare, sed definitiuam non usquequaque aspernandam ostendere, tametsi à resolutiuā dignitate & Methodo uinceretur: tandem fuit harum duarum inuicem magis necessaria comparatio, quanto per unā iam medicinam absoluerat, & per aliam mox erat absoluturus. Et de hac quidē dubitatione tot sint dicta. Alia deinde in *Dubitat* surgere potest dubitatio, an quælibet *quinta-* *ars*, quælibetq; scientia, tani spectatiua,

quām practica, trīplici hoc doctrinarū genere apte doceri possit. In qua dubiatione, quantum ad compositiūam attinet, satis est facilis responsio, cum uidea mus omnes ferē artium & scientiarum libros, in quibus ordo aliquis agnoscitur, per eam esse conscriptos. Quantum etiā ad definitiūam, licet non multum ea scriptores usi sint, negari tamen non potest quin satis cōmoda sit ad omnes scientias scribendas. Nō est enim difficile inueniātā perfecte scientia definitionem pariter inuenire, omnes eius partes ambiētem, quibus diuisis, subdivisiōē tota scientia percurratur. Resolutiua tantū supereſt, de qua difficile est iudicare, an omnibus scīētijs, præsertim speculatiuis possit ac cōmodari. Nam de factiuis, ad mediciā næ exemplū, alias omnes haud difficile est sine supposito & inuenire, & doceare. Idem quoq; de actiuis, quas practicas uocant, existimandū: habito enim fine, moralis, seu eius quæ generis nomen retinet, quam Ethicen, seu eius quæ familiā regere docet, quam Oeconomicen seu eius quæ Remp. quām Politicē Græci

ci uocant, inuestigari ea per ordinē pos-  
sunt, quæ ad hunc consequendū sunt ne-  
cessaria. Solæ supersunt speculatiuæ, in  
quibus difficile est uidere quo pacto per  
resolutionē, uel inueniri possint, uel do-  
ceri. Sunt quidam inueniri speculatiuas Opinio-  
per resolutionem dicentes, sed non per  
eam, sed per cōpositiuam posse doceri.  
Quibus ego minime assentiendum du-  
co: qui em inuenit, quodāmodo seipsum  
docet. Nihil aut̄ uerat quomínus eo quo  
semet docuit ordine, alium docere ua-  
leat. Sed nōnne qui inuenit, ordinē quē  
in inueniendo sequitur, scriptis manda-  
re potest? Quæ scripta cū ad aliorum ma-  
nus deuenerint, qui non omnino obtusū  
ingenij sint, easdem res, atq; eodem ordi-  
ne edocebunt, quo à primo fuerunt in-  
uentæ. Nō ergo ambigendum mihi ui-  
detur, omnem scientiam quæ inueniri  
aliquo ordine potest, eodē seruato ordi-  
ne, tanto facilius posse doceri, quanto  
facilius est inuenta docere, quām non in-  
uenta inuenire. Tota uero huius quæsiti  
dubietas in hoc cōsistere uidetur, an spe-  
culatiuæ scientiæ possint per resolutiū-

Contra

doctrinā inueniri. Quod quidem sensisse Galenus uidetur in libro De constitutione artis medicinalis, eadem Methodo uniuersas artes constitui affirmans, statimq; diuisionem artium subiçtiēs in in speculatiuas, & operatiuas. Sed docuit ille quidem modum quo factiuæ inuenirentur, nō quo speculatiuæ: nisi forte in alio libro, qui à nobis diu quæsitus, hactenus inueniri nō potuit, cui titulus De constitutione omnium artium. Coniectari tamen possumus cōsimilem esse in utrisq; Methodum, differentiamq; in hoc consistere, quod sicuti in actiuis, factiuisq; finis in operatione aliqua consistit, ita in speculatiuis in sola ueritatis agnitione: & quēadmodū in illis omnia perquirenda sunt, quæ ad operationē recte exequendā sunt necessaria, ita in his quæcunq; ad ueritatē circa id quod quærimus indagandam. Si quis ergo, exempli gratia, naturalium rerum scientiam cōstituere optauerit, quia uidelicet cogitauerit, nonnulla esse in rebus, quæ sint materiae penitus immersa, considerare in primis debet, cuiusnā generis sit sciencia,

tia, quam inquirit: quam cum spectatiui generis esse cognoverit, simul etiam intelliget, se ueritatem circa naturales res oportere inuestigare. Contemplari ergo incipiet rerum naturalium differencias, statimq; illi occurrent res compositæ, ceu sub obtutum ipsum sensumq; carentes. Quarum uarietatem admiratus, eas in certa genera referre conabit, singulaq; genera seorsum speculabit: quod cum fecerit, uidebit in omnibus quædā communia, quorum etiam sibi notitiam necessariam cognoscet, ut sine quibus priora non adhuc perfecte sint cognita. Inter communia rursus ordinem quendam cognoscens, ab inuestigatione eorum non cessabit, donec ad causas, principia, & prima usq; elementa uentū sit. Quod ubi fuerit asseditus, se iā cōsecutum propositū finē, id est rerū naturaliū speculationem cognoscet. Quā si literis eo etiam ordine, quo processit, demandauerit, quisquis cōmentarium huiuscmodi didicerit, eandē quam ille, naturalium scientiā nanciscetur. Ad id exempli existimo cæteras speculatiuas sciencias

tias & inueniri, & doceri posse, ita tamē ne putemus uniuersa theorematā ab ipsis primis inuentoribus esse cōperta. Sed illud potius tenendū, esse lōge plura, quæ nondum uestigari potuerunt, & ea quæ humano ingenio sunt adinuēta: ut adhuc uerum sit illud Aristotelicum, maximam eorum quæ scimus partē, minimā esse eorū quæ ignoramus. Quare cum adhuc in omnibus sciētijs plurima supersint inuestiganda, hoc unū longo tempore peccauerunt maiores nostri, quod inuentis stantes, oraculicj loco habentes, quæcunq; à senioribus scripta erant, nihil artibus adiecerunt: quod potissimum in medicina, magna cum iactura hactenus peccatum est: sed de hoc aliās.

**itatio** Nūc aliā dubitationē absoluamus. Quæ rere enim adhuc circa procēmiū contin git, quare Galenus dupli ci doctrinæ ordine, resolutiuo scilicet, & definitiuo, medicinā nobis reliquerit, compositiuū prætermiserit. Ab hac dubitatione illi se **vo L.** facile absoluunt qui dicūt in libris à Galeno compositis, in fineq; artis enumera tis, si eo ordīne legātur quo ab eo disponuntur,

nuntur, traditam medicinam esse per doctrinam compositiuā, ad quod probandum tali utuntur argumento: Ille ordo non est resolutius, nec definitius, est ergo compositius. Nos autem licet nō negemus in illis ordine, quo recēsentur, lectis agnoscī quandam compositiūæ similitudinem, non ea tamen mente à Galeno conscriptos credimus, uel recitatos, ut medicinā nobis traderet per doctrinam compositiuam, nec eodem esse ordine scriptos quo recitantur, alioqui neq; statum ipse met, ac firmum ordinē in eis agnoscere uidetur, cum dicat librū de Potentijs naturalibus posse absq; discrimine post librum de Elementis, uel post librū de Temperaturis legi, atq; post illum libros, in quibus de operationibus agitur, simulq; eos, in quibus de dissecti onibus. Quos tamen iuxta resolutiū ordinem, in libro De constitutione obseruatū, oporteret in compositua esse ultimos, sicut in illo sunt primi. Sed & sciculus ille cōmentariolorum nullo ordine aut inuicem, aut cum alijs coniunctorum, cōnumerationem potius quam ordinem

Ratio  
ma con  
Leoz.

Ratio  
da.

ordinē à Galeno cūstoditā ostendit. Fa-  
sciculus ille dico, in quo libelli De præ-  
incipientibus causis, medicinali experi-  
entia, attenuante uictu, uenarum sectio-  
ne, tumoribus præter naturam, multitu-  
dine, simul cum quibusdam alijs, cogni-  
tu, ut ipse dicit, utilibus continentur.  
Quos in certum ordinem cum alijs non  
digessit, ut cuius propositum esset, non  
cōpositiuam doctrinā facere, uel osten-  
dere( nulla enim ad hoc eum cogebat ne  
cessitas ) sed potius libros absq; ordine,  
ut præstabatur occasio, cōscriptos, enu-  
merare, in quibus fusius & locupletius  
ea inueniri possent, quæ hic breuiter &  
concisim erant constricta: adeò ut fru-  
stra laborasse illi uideantur, qui per du-  
plicem compositorum pharmacorū ma-  
neriem, tollere contradictionem credūt  
quæ circa libros de compositione phar-  
macorum ordinādos inter Galenū hic,  
& ipsummet in libro Therapeutices es-  
se putāt, cum hic libros De compositio-  
ne pharmacorum, Artī curatiuæ præpo-  
nat, in ipsa uero curatiua arte postpo-  
nat. Tollere autem hanc contradictionē  
putant

putant dicentes, rationem componendi pharmaca esse duplicem, quandam immutabilem, ut Theriaca, & hanc antecedere: aliam mutabilem, quæ pro arbitrio quotidie à medicis fit, & hanc esse posteriorum. Sed nonne uident quod ad eādem artis partem spectat, omnium medicamentorum compositionem docere, siue illa immutabilis, siue pro arbitrio variari possit, medicosq; quicunq; de compositionis pharmacis scripsere, simul atque eodem commentario, de utroq; genere pertractasse? Plura hic adderem, nisi uererer me frustra laborasse, pariterq; posse conuinci, qua certe culpa non vacuuus esse me cognosco. Ignosci tamen mihi à lectoribus spero, cum eos bis antea monuerim, ut si ad utiliora contendūt, in hæc ne diuertant.

Basileæ, in edibus Andree Cratandri, Mens  
sc Julio, Anno M. D. XXIX.

